



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XLIV. Vtrum Personæ Diuinæ sint æquales quoad absoluta, & relatiua, tùm
ad intra, tùm ad extra?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

tionem; cum intellectio producta non sit in Deo accidens, sicut in creatis, sed substantia, sicut est ipsum producens intellectiōem, ideoque non concurrat *ut quo tantum*, sed *ut quod*, sicut ipsum Principium intellectiōis producta.

Art. 3. Hinc sequitur Spiritum Sanctum non fore distinctum realiter à Filio, si non procederet ab eo, sicut Filius non distingueretur à Patre, si ab eo non procederet, sed procederet solum virtualiter ab essentia, sicut procedit Pater, & sicut terminationes liberae virtualiter procedentes ab essentia Divina non distinguuntur de facto, nisi virtualiter ab essentia, & à Personis. Quia videlicet sublata processione reali, eo ipso aufertur uniformiter utrobique tota ratio distinguendi realiter in Divinis, ut patet ex dictis loco paulo prius indicato. Confirmatur quia hac præcisè de causa, non distinguuntur realiter, nec adæquatè, nec inadæquatè, sub eadem hypothese, virtus proxima generatiua, & spiratiua; Genitor, & spirator; Generans, & spirans; Generatio actiua, & spiratio. Quod quidem est in confesso apud omnes. Neque verò adest vlla ratio discriminis pro neganda eadem indistinctione, ex parte termini producti sub hypothese data. Est enim eadem diuersitas prædicatorum; quoad conceptus formales, ex parte principij, & ex parte termini, & idem similiter defectus oppositionis, & relationis mutue utrobique. Foret igitur, sub hypothese data, eadem indistinctio realis Filij, & Spiritus Sancti, seu geniti, & spirati: Generationis, & spirationis passiuæ: Intellectiōis, & amoris notionalis. Quæ est sententia communis D. Thomæ quæst. 36. artic. 2. & aliorum ibidem, aduersus Scotum in primo dist. 11. quæst. 2. & nonnullos alios.

Art. 1. Ad rationem dubitandi: Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non procederet per solam voluntatem re ipsa, nec acciperet à Patre solo omnia prædicata, quæ accipit de facto à Patre simul, & Filio. Quia Pater in eo casu pro eodem priori, eodemque modo esset indiuisum Principium intellectiuium, ac volitiuum proximè, & ageret, quantum posset. Ergo simul, ac indiuisum ageret intellectum, & voluntate, atque produceret terminum, qui simul, ac indiuisum esset realiter intellectio, & volitio notionalis, sicut essentia Divina simul, ac indiuisum est intellectio, & volitio absoluta, præcisè quia neutra ab altera procedit, & utralibet formalitas est infinitæ perfectionis; atque de conceptu obiectiui, & reali perfectionis in infinita, & eius, quod est infinitè perfectum, est, ut non multiplicetur realiter absque oppositione reali producentis, & producti, ut dictum est. Quia itidem ratione, omnes tres Personæ Divinæ simul cum essentia, simul ac indiuisum sunt Principium virtuale terminationum liberarum, tum pertinentium ad intellectum, tum pertinentium ad voluntatem, absque reali inter utraque distinctione, licet differant, quoad conceptus formales, non secus, ac differunt intellectio, & volitio notionalis, ac necessaria. Adde consequenter amorem notionalē non habiturum fore in eo casu, omnia prædicata, quæ habet de facto. Quia non esset exercitium, & actus amatoris duarum Personarum, quatenus amantium se mutuo, nec esset exercitium Personæ intelligentis, quatenus præintelligentis eo genere intellectiōis, cuius generis esset amor productus. Esset enim amor passiuus, & spiratus, non præsupponens intellectiōem passiuam, & Verbum mentis. Ex quibus apparet suppositiones, quas superaddit ratio dubitandi suppositioni præmissæ pro quæstione, esse chimericas, & falsas, non minus, quam sit chimærica, & falsa eadem illa suppositio; ideoque falsam similiter, & chimæricam esse illationem inde derivatam.

Art. 2. Apparet rursus ex his omnibus vtiliter institutam esse ad hominem, in Concilio Florentino ubi supra, à Patribus Latinis eam hypothese, atque optima ratione obiectam esse sequelam realis indistinctionis inter Filium, & Spiritum sanctum, aduersus Græcos negantes Spiritum sanctum procedere realiter à Filio, simulque affirmantes distinguere realiter ab eodem. Quia per eam hypothese convincerentur clariùs inconsequentia, & implicationis terminorum, ut patet ex dictis, nec poterant enadere difficultatem, & sui illius dogmatis consequentiam retinere, propter adhesionem maiorem ad Evangelium, quatenus reuelans distinctionem realem Filij, & Spiritus sancti, ut prænotatum fuit supra quæst. 36. Ex qua apparet præterea clarè, ut hæc quæstio retineat vtilitatem, quia tunc vignet, faciendam, & retinendam esse fideliter hypothese, iuxta sensum Græcorum, qui aderant Concilio; ita videlicet, ut Spiritus sanctus non procedat à Filio, neque actu, neque potentia, neque radicaliter, neque proximè, solumque examinetur consequentia, ex vi non processionis, ad distinctionem, vel indistinctionem, retentis iuste omnibus aliis, quæ non dependent formaliter à processione alterius ab altera Persona, & sunt aliunde nota per fidem, vel rationem. Quod quia non præstant exactè, qui contradicunt sententiæ D. Thomæ, aliorumque communiori, cui & nos subscripsimus; propterea non simul refragantur intentioni, & doctrinæ, atque illationi Concilij Florentini, nec errant periculo, ut nonnulli Thomistæ illis obiciunt, contradicente meritò Montoya, & aliis. Verum de tota ista re, recolenda sunt, quæ præmissimus in quæst. illa 36. circa hypothese impossibiles in genere: unde etiam deprehenderetur, quæ de causa brevissimi esse voluerimus circa istam quæstionem, & quam inutiliter nonnulli alij de eadem quàm fufissimè disputent.



QVÆSTIO XLIV.

Vtrum Personæ Divinæ sint æquales quoad absolutam, & relativam, tum ad intra, tum ad extra?



IDENTVR non esse æquales: 1. Quia prima Persona est maior quàm secunda Persona, ut patet ex testimonio Christi Domini, Ioann. 14. 28. *Quia Pater maior me est.* Quod accipiendum esse non solum relatè ad Humanitatem, & comparatione Christi, ut hominis, sed etiam comparatione eiusdem, ut Persona Divina est, constat ex Nazianz. Athanas. Cyrill. Alex. & aliis SS. PP. apud Montoyam disp. 50. de Trinit. sect. 2. Minor autem non est æqualis maiori, ergo Filius non est æqualis Patri.

2. *Beatius est dare magis, quàm accipere*, ut habetur ex testim. Christi Domini Act. 20. 35. Præstantius igitur, dignius, & maius est, dare, quàm accipere. Pater autem dat Filio, & Filius accipit à Patre, quidquid habet, ut patet ex Florentino supra citato, & ex illo Ioan. 10. 29. *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est*, exque aliis eiusmodi compluribus. Eadem porro ratione accipit Spiritus sanctus à Patre, & Filio. Et consequenter iuxta dicta superius, Pater est ipsum dare, ipsaque datio; Filius verò ipsum accipere, & acceptio ipsa; & similiter de Patre, & Filio comparatione Spiritus Sancti, propter indistinctionem supra assertam Principij, & termini à productione actiua, & passiva, in Divinis. Beatior igitur, & maior est Pa-
ter

ter, quàm Filius; & uterque quàm Spiritus sanctus.

3. Non est æqualis creatura Creatori, seu creatum creati, vt per se patet. Pater autem est Creator Filius, vt colligitur ex 24. Ecclesiastici 14. *Ab initio, & ante secula creata sum.* Et iterum: *qui creauit me, requieuit in Tabernaculo meo.* Et Sap. 8. 22. vbi vulgata habet: *Dominus possedit me in initio viarum suarum,* iuxta textum Græcum legitur: *Dominus creauit me initium viarum suarum.* Quæ omnia ex communi consensu Sancto. Patri. & aliorum Interpretum accipiuntur de Verbo Dei, quatenus est sapientia à Deo Patre procedens. Ergo Verbum Dei non est æquale Patri æterno.

4. Solus Pater est Deus, vt patet ex verbis Christi ad Patrem 17. Ioan. 3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Ergo nec Filius est Deus, nec Spiritus sanctus est Deus. Deus autem non est æqualis non Deo.

5. Spiritus sanctus non est Deus. Primum: quia Spiritus sanctus scrutatur, & orat, ac gemit, ex 1. ad Cor. 2. 10. *Nobis autem reuelauit Deus, per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* & 8. ad Rom. 26. dicitur: *Spiritus sanctus orare pro nobis gemitibus inenarrabilibus;* atque ex 4. ad Galat. 6. *Pater misit Spiritum filii sui clamantem: Abba Pater.* Deinde Io. 1. 3. dicitur de Verbo Dei: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso Vita erat.* Ergo & Spiritus sanctus, si quidem est aliquid, factus est per Verbum. Denique ex Matt. 2. 27. *Nemo nouit Filium, nisi Pater.* Ergo non nouit Filium Spiritus sanctus. Deus autem nec scrutatur, aut ignorat aliquid, cum sit omnium comprehensor; nec postulat, seu orat, & multo minus gemit, cum sit Dominus omnium; nec est factus, cum sit ens à se, & principium eorum omnium, quæ facta sunt. Ergo Spiritus Sanctus non est Deus; nec Deus est Spiritus sanctus.

Accedit nomen, quod secundum se est commune Patri, & Filio, non posse applicari, tanquam proprium, & peculiare alij Personæ, nisi quatenus per solam participationem talis, qualis significatur per eiusmodi nomen, vt patet ex illo: *Dis estis, & Filij excelsi omnes.* Exque aliis eiusmodi pluribus, in quibus semper subintelligitur limitatio secundum quid, & secundum participationem. Hoc autem nomen: *Spiritus sanctus*, quod est proprium, & peculiare tertie Personæ, est commune secundum se Patri, & Filio, vt potest perfecte spiritalibus, & Sanctis per essentiam. Ergo hoc ipsum conuenit tertie Personæ tantum secundum quid, & per solam participationem.

Accedit rursus, Spiritum sanctum esse donum Dei, vt patet ex illo Dni Petri ad Simonem Act. 8. 20. *Pecunia tua tecum est in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri.* Vbi patet ex contextu, nomine Doni intelligi Spiritum sanctum, vt etiam intelligunt Augustinus, & alij apud Ioan. 4. 10. dum dicitur: *Si scires Donum Dei.* Donator autem est maior dono, quia habet, quod donat, & præterea se ipsum; & quia est Dominus doni sui. Patet igitur Spiritum sanctum esse minorem Deo.

6. Æqualitas duorum inter se secundum quantitatem virtualem, seu secundum bonitatem, quæ sola quantitas intelligi potest in Deo, includit in se similitudinem eorumdem adæquatam, & perfectam, vt dicit D. Thomas q. 42. art. 1. ad 2. Non sunt autem ita similes inter se tres Personæ Diuinæ. Quia si ita essent similes, nulla superesset ratio, ob quam secunda Persona esset Filius, potius quàm tertia Persona, vt patet ex q. 42. Vbi totum, quoad id, discrimen fundatum est in similitudine secundæ Personæ, & defectu similitudinis in tertia Persona, respectu primæ.

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

Ergo Personæ Diuinæ non sunt perfecte æquales inter se.

7. Personæ Diuinæ non possunt dici æquales quoad prædicata absoluta. Quia potentia imprimis communicatur Patri cum sufficientia ad gignendum, & Spirandum; Filio verò solum cum sufficientia ad spirandum, ac demum Spiritui sancto cum sola sufficientia ad effectus creatos. Deinde natura Diuina communicatur Patri, & Filio, sub conceptu intellectus, & intellectionis; Spiritui verò Sancto, sub conceptu amoris. Conceptus autem intellectus, & intellectionis est perfectior, quàm voluntas, & actus voluntatis, vt docet sæpè D. Thomas. Denique Pater habet in se libertatem dominatiuam, & sapientiam propriam Diuinitatis, cum sufficientia præcipiendi Filio, eundemque docendi; vt patet ex illis testimoniis apud Ioan. *Secundum mandatum, quod dedit mihi Pater, sic facio. Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit. Sicut audio, indico.* Ergo Pater præeminet Filio, & uterque Spiritui sancto, quoad prædicata absoluta. Iam quoad relatiua ad intra est quodammodo manifestior inæqualitas. Quia Personæ Diuinæ, per suas proprietates relatiuas sunt dissimiles inter se, non secundum quid, & accidentaliter tantum, sed intrinsecè, & quali specificè, atque essentialiter. Quæ autem sunt dissimilia specificè, & essentialiter, non possunt non esse inæqualia. Quia species rerum sunt, ex Philosopho, sicut numeri, in quibus nequit dari dissimilitudo sine inæqualitate, vt patet. Sunt igitur inæquales Personæ Diuinæ quoad relatiua, sicut homo, & leo, & eiusmodi alia. Ex hac duplici inæqualitate Personarum, quoad intrinsecam, tum absolutam, tum relatiuam, sequitur inæqualitas quoad effectus etiam extrinsecos. Quia operatio conlequitur ad esse, & ad actualitatem, & constitutionem intrinsecam cuiusque, ideòque oportet illam euadere inæqualem respectu cuiusque, iuxta inæqualitatem istorum. Deinde donatio & missio sunt operationes Dei ad extra, & vtrique conuenit Patri, respectu Filij, & vtrique respectu Spiritus sancti, cum neutra conueniat, vel Spiritui sancto respectu Filij, vel vtrique, aut alterutri respectu Patris. Ergo Personæ Diuinæ sunt inuicem inæquales quoad absolutam, & relatiuam, tum ad intra, tum ad extra.

Art. 1. Resp. Quod attinet ad conceptum obiectiui, remque ipsam, de qua quæritur, vix ac ne vix quidem aliquid superest, quod circa præsentem quæstionem adiciere opus sit ultra ea quæ hucusque dicta sunt, & quod cuius ea consideranti non sponte pateat. Mutatione namque sola terminorum, & locutionis, remanente eadem significatione, adæquatè satisfieri potest quæstioni, vt mox apparebit clarè. At quoad modos concipiendi, & loquendi, tum directè, tum etiam reflexè quoad doctrinam; & varias diuersorum locutiones, quàm plura superaddi possent, & necesse est, vt aliqua superaddantur, tum ad intelligentiam sacri Textus, & SS. PP. tum ad vitandum tutius errores hæreticorum, & illegitimas nonnullorum Catholicorum locutiones in re proposita, quæ tota sita est in comparatione mutua Personarum. Quæ comparatio iure suo succedit considerationi hucusque præmissæ circa easdem Personas: Primum quoad ea, quæ sunt omnibus communia: Deinde quoad singulas in particulari. Ea autem comparatio tota reducit, re ipsa, ad examen æqualitatis, & similitudinis ipsarum inter se, iuxta triplicem prædicatum partitionem, quæ proposita est in ipso titulo quæst.

Art. 2. Æqualia sunt, ex Philosopho, quorum quantitas est vna. Similia verò, quorum qualitas est vna. Neutra datur formaliter in Diuinis, vt patet ex dictis supra de spiritualitate, & simplicitate Dei; Datur tamen

O 2

tamen

tamen vtrique virtualiter, & æquivalenter. Quia datur in Deo magnitudo bonitatis, atque in his, quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse, ut dictum est iterum supra ex Augustino l. 6. de Trin. c. 8. ad med. Dantur etiam in Deo prædicata secundaria, & attributaria, quæ concipiuntur à nobis ad modum qualitatis, atque ex doctrina Basilij l. 1. contra Eunomium propius ad finem, quàm ad med. quibuscumque forma, vel figura adiacet, iis identitate qualitatis inest formarum similitudo: quæ verò sine forma, & sine figura natura est, reliquum est ut similitudinem in substantia ipsa, & æqualitatem non in mensura magnitudinis, sed identitate virtutis possideat. Dicendum itaque primò est: Personas Divinas esse absolute, atque omnino æquales inter se. Illud dogma docetur in symbolo Athanasij, dum dicitur: *In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed tota tres Persona coeterna sibi sunt, & coequales.* Ratio est, quia Divinitas est tota, & unica magnitudo, seu perfectio per se æstimabilis omnium, quæ sunt in Deo, nec Personæ Divinæ adiciunt ullam præterea eiusmodi Bonitatem, seu magnitudinem peculiarem, ut ostensum est quæst. 40. Atque Divinitas communicatur æquè omnibus, & singulis Personis Divinis. Communicatur enim illis tantundem, atque sibi, atque aded summè, ac infinite simpliciter, & consequenter perficit eandem tantundem, atque se ipsam, & summè, atque infinite simpliciter. Sunt igitur omnino inter se æquales Personæ Divinæ. Hac ratione æqualitatis utitur D. Thomas q. 42. ar. 1. atque alij communiter non solum Theologi ibidem, sed etiam Sancti Patres apud Montoyam disp. 54. à sect. 6. & disp. 66. à sect. item 6. & confirmatur autoritate Pelagij 1. in epist. ad Childebertum Regem, in qua circa illud Matth. 28. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, subiungit sic: *In nomine, inquit, non in nominibus, ut & unum Deum, per indistinctum Divina essentie nomen ostenderet, & Personarum distinctionem suis proprietatibus edoceret. Quia, dum tribus unum Deitatis nomen est, æqualitas ostenditur Personarum.* Quæ quidem Pontificis illatione, & illo SS. PP. & Theologorum consensu quoad eandem, non obscure significatur, & confirmatur validè doctrina ea nostra de Personalitatibus, nullam superaddentibus ex se perfectionem peculiarem, virtualiter intrinsecè distinctam à bonitate, & perfectione propria Divinitatis secundum se. Quia si Personis inessent perfectiones peculiæres, ultra perfectionem communem, quam habent penes Divinitatem, non potuissent legitime inferri absoluta, & perfecta earum æqualitas, ex sola identitate cum natura Divina, sed probari insuper debuisset seorsim æqualitas quoad perfectiones relativas. Cum potuisset specialiter dubitari de aliqua, ex hoc capite, inæqualitate eadem ratione, quæ ab Auctoribus contrariæ eatenus sententiæ asseritur diversitas, & dissimilitudo perfectionis, & bonitatis per se æstimabilis in Personis Divinis; præsertim cum sit difficillimum, iuxta doctrinam Philosophi nuper insinuatâ, sciungere illam ab inæqualitate quoad bonitatem per se æstimabilem, id est quoad quantitatem virtutalem, cuius solius sunt capaces res immateriales. Ut ut autem hoc habeat, æqualitas Divinarum Personarum non solum verificatur in singulis, respectu singularum, sed etiam in singulis, respectu duarum reliquarum, tum secundum se, tum ut coniunctarum cum tertia. Id quod docetur expressè à Concilio Tolitano 6. in Professione fidei ante med. *In hac, inquit, Trinitate, tanta est unitas substantiæ, ut pluralitate careat, & æqualitatem teneat, nec minor in singulis, quàm in omnibus: Nec maior in omnibus, quàm in singulis Per-*

sonis manet. Et Augustin. lib. 6. de Trinit. c. 6. sub finem. *Hic in rebus corporeis ait, non tantum est res una, quantum tres simul, & plus aliquid sunt due, quàm una res, Caterum in summa illa Trinitate, tantum est una, quantum tres simul, nec plus aliquid sunt due, quàm una.* Quam verissimam assertionem probat luculenter idem August. ex eadem Personarum identitate cum Divina substantia, seu natura, l. 7. de Trinit. c. vii. propius ad med. quàm ad finem. Probatio autem est procul dubio legitima. Quia cum identitas Divinitatis cum unaquaque Persona sit summa, ac infinita simpliciter, atque ipsa hæc identitas sit tota ratio perfectionis in Personis Divinis, non potest esse maior in omnibus simul sumptis, quàm in singulis seorsim. Ricardus Victorinus l. 3. de Trinit. c. 7. adiungit venustam aliam rationem assertæ æqualitatis, dicens: *Sicut charitas vera exigit Personarum pluralitatem, sic charitas summa exigit Personarum æqualitatem.* Et præmissa huius doctrinæ expositione quoad utramque partem, subiicit deinde: *Plenitudo charitatis exigit, ut uterque ab altero sit summè dilectus, & consequenter secundum prædictam discretionis normam, uterque sit summè diligendus. Vbi autem uterque est æquè diligendus, oportet, ut uterque sit æquè perfectus. Oportet itaque, utrumque esse, æquè potentem, æquè sapientem, æquè bonum, æquè beatum. Sic summa plenitudo dilectionis in mutue dilectis, exigit summam æqualitatem perfectionis.* Præfuit ex parte huic rationi, aliquid præterea superaddens Aug. l. 3. contra Maximin. cap. 7. post med. dicens: *Deus Pater æqualem sibi gignere Filium, aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit, infirmus: si noluit, invidus; id est, deficiens in dilectione, & charitate.* Eadem porro ratio est, ut patet, de Patre, & Filio, comparatis cum Spiritu Sancto.

Art. 3. Verum ut redeam ad identitatem Personarum cum Divinitate, quæ est præcipua ratio æqualitatis assertæ, sciendum est, ratione eiusdem identitatis convenire iisdem Personis circuminfessionem mutuatam, ratione cuius totus Pater est in Filio, & uterque similiter in Spiritu sancto, iuxta illud Ioan. 10. 38. *Pater in me est, & ego in Patre.* Et illud apud eundem cap. 17. 21. *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te.* Eadem autem est ratio, ob quam Spiritus sanctus sit in Patre, & Filio, & uterque sit in Spiritu sancto. Sunt igitur Personæ Divinæ, in se ipsis innicem, cum intima præsentia, non solum quoad omnia, & singula spacia, & quoad omnes, & singulas differentias durationis propter identitatem cum immensitate, & æternitate, sed etiam entitativè. Quia Pater identificatur cum natura Divina tantundem, ac perinde, atque identificatur secum, ideoque adest Filio, & Spiritui sancto similiter identificatis cum natura Divina, perinde, atque si identificarentur inter se immediate eadem Personæ, quoad ipsas suas Personalitates. Quod quidem est intellectu difficile secundum viam rationis naturalis, propterea quæ dicitur innarrabile ab Athanasio lib. 5. de unita substantia Trinitatis, propè finem, sed est nihilominus certum, ac manifestum lumini fidei, sequenti revelationem Divinam. Vnde Theologi unanimi consensu tuentur mutuatam istam inexistenciam Personarum Divinarum sub nomine circuminfessionis, cum D. Thom. q. 42. art. 5. Quibus præiit consensus in eandem rem item communis sanctorum Patrum apud Montoyam disp. 107. sect. 2. & seq. Confirmatur cum D. Tho. & aliis communiter apud eundem sect. 6. ex conceptu actus vitalis. Quia Verbum, & Spiritus sanctus sunt actus vitales intelligendi, & volendi, ut ostensum, & expositum est supra. Est autem de ratione eiusmodi actuum, immanentia eorundem in suis principiis.

Ergo

Ergo Personæ Diuinæ, etiam secundum suas proprietates Personales, & secundum prædicata relatiua, postulant essentialiter mutuam immanentiam, qualis asserta est inter ipsas. Congruè autem appellata est circuminfectio, intima ea præsentia, ac immanentia, quia pertinet ad dignitatem indiuiduam trium Personarum, quæ per sessionem, quasi iudiciariam, & potestatiuam idoneè ponitur ob oculos, ut sibi inuicem indiuiduè adsint, summa cum concordia, non solum voluntatis, sed etiam totius sui esse.

Art. 4. Dicendum iam rursus est, continere Personis Diuinis æqualitatem, saltem negatiuam quoad prædicata relatiua ad intra, necnon æqualitatem omnimodam quoad effectus ad extra. Conuenit quidem æqualitas, saltem negatiua, quoad relatiua ad intra. Quia ex doctrina Philosophi 10. Metaph. à text. 15. ad æqualitatem duorum pertinet, quod neutrum sit maius, vel minus altero: Personæ autem Diuinæ hoc habent, quoad prædicata relatiua, cum, ut dictum est supra, ea prædicata nullam in se contineant bonitatem peculiarem per se æstimabilem, ideoque sint eatenus expertes omnis magnitudinis virtualis, quia in ratione maioris, vel minoris constitui possunt Personæ Diuinæ. Quoad effectus verò ad extra, non possunt non esse prorsus æquales, cum indiuisum eodemque modo habeant in se totam perfectionem Diuinitatis, atque adeò Sapientiæ, Domini, Potentiæ, & Providentiæ, quibus sunt, conferuntur, atque reguntur res omnes create.

Art. 5. Dicendum postremo est, conuenire nihilominus Personis Diuinis aliqualem inæqualitatem, seu potius quasi inæqualitatem, ex modo nostro concipiendi, & apprehendendi Diuina ad instar earum rerum creaturarum, per quarum species cognoscuntur à nobis singula prædicata Diuina peculiariter affinia, atque analogia aliis, atque aliis rebus creatis. Ista inæqualitas rationis fundatur in dissimilitudine reali Personarum, quoad prædicata notionalia. Neceffe namque est, ut prædicata Diuina, realiter inter se dissimilia, sint similia prædicatis creatis realiter inter se dissimilibus. Prædicata autem creata realiter inter se dissimilia, eò ipso sunt inter se inæqualia, ut dicitur in loco, & innuabitur infra ad 7. Et rursus prædicata creata, realiter inter se inæqualia, gignunt apparentiam inæqualitatis circa prædicata Diuina, quæ cognoscuntur per species illorum, ut apparet ex dictis q. 5. & 6. Atque ea apparentia inæqualitatis dicitur inæqualitas rationis, seu ex modo nostro concipiendi, respectu talium prædicatorum Dei, ut ibidem notatum, & expositum est. In eadem dissimilitudine reali Personarum Diuinarum, quoad prædicata notionalia, fundatur appropriatio essentiae Diuinæ ad singulas Personas, quoad prædicata diuersa eiusdem essentiae. Appropriatio enim absolutorum ad Personas, est manifestatio Personarum per attributa absoluta Dei similia, seu specialiter affinia prædicatis cuiusque Personæ propriis. Quo pacto manifestatur Pater per Potentiam, Filius per Sapientiam, Spiritus sanctus per Bonitatem, & sic de aliis eiusmodi, ut exponit luculenter D. Thom. redigens in concordiam diuersas SS. PP. circa hoc, locutiones, q. 39. art. 8. Quia verò attributa ea absoluta Dei sunt inæqualia ratione nostra, seu fortiuntur apparentiam inæqualium respectu nostri intellectus ex diuersis connotatis creatis realiter inter se inæqualibus, ex eo etiam capite euadunt inæquales ratione nostra Personæ Diuinæ.

Art. 6. In eadem denique dissimilitudine reali, quoad notionalia, fundatur inæqualitas rationis, quoad missionem ad extra Personarum Diuinarum. Missio enim Personæ Diuinæ tria includit in suo

conceptu; Primò effectum aliquem ad extra, qui proinde secundum se est communis toti Trinitati, & æqualiter, atque eodem omnino modo procedens ab omnibus, & singulis Personis Diuinis, utpotè habentibus indiuisim eandem omnipotentiam, & virtutem actiuam proximam ad extra. Secundò includit determinationem Personæ missæ à mittente, ut ear, & compateat ubi, & quando mittetur. Quæ itidem determinatio, quatenus est libera electio missionis, est communis toti Trinitati. Quia terminationes liberæ Diuinæ procedunt virtualiter à tribus simul Personis, utpotè similiter præditis eadem indiuisim libertate, ac dominio. Tertiò, includit eadem missio originem Personæ missæ à Persona, vel Personis mittentibus. Quæ sola origo est adequata ratio dissimilitudinis realis, quoad notionalia: ut apparet ex dictis q. 39. Eademque sola conuenit specialiter re ipsa uni Personæ respectu alterius, & dependenter ab eadem reliqua duo pertinentia ad conceptum missionis denominantur inducta à Persona producente in Personam productam. Vnde Pater à nemine mittitur, nec mitti potest, ut docet inter alios August. l. 4. de Trinit. c. 20. Quin ex sua proprietate Personali est innascibilis, ingenerabilis, & improductus intrinsecè, ut dictum est supra. Quam rationem reddit ibi August. his verbis: *Pater, cum ex tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus, non enim habet à quo sit, aut ex quo procedat.* Filius verò à solo Patre mitti potest, missusque est de facto, ut habetur 4. ad Galat. 4. *Misit Deus Filium.* Denique Spiritus sanctus mitti potest, missusque est de facto à Patre, & Filio, ut patet ex 4. Ioan. 26. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo,* & c. 15. Ioann. 26. *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre,* & c. 16. 7. *Si autem abieris, mittam eum ad vos.*

Art. 7. Mittuntur autem Filius, & Spiritus sanctus, tum inuisibiliter, tum visibiliter; Inuisibiliter quidem, per donum gratiæ; Visibiliter verò, per effectum aliquem sensibilem. Missio inuisibilis, alia est missio simpliciter & absolute; alia tantum secundum quid. Missio simpliciter talis fit per infusionem gratiæ sanctificantis respectu illius, qui prius ea carebat. Qui enim accipit gratiam habitualement, eo ipso habet Deum manentem in se specialiter, iuxta illud Ioan. 14. 23. *Si quis diligit me, Sermonem meum seruet, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Atque ea mansio dicitur missio actiua respectu Patris, & passiuæ respectu Filij, & Spiritus sancti. Missio inuisibilis secundum quid fit per auxilia gratiæ actualis, & per augmentum habitualis. Quia collatio auxiliorum actualium gratiæ, est inchoatio tantum, & præparatio ad inhabitationem, & mansionem Dei in anima. Augmentum verò gratiæ habitualis, est tantum perfectio, & complementum eiusdem inhabitationis, & mansionis præsupponens per se præexistentiam Dei in anima, ideoque insufficiens ad missionem simpliciter Personæ Diuinæ in animam. Missio visibilis fit per effectus sensibiles, sub quibus apparent Personæ Diuinæ, ut apparuit Verbum per Incarnationem in forma humana, & cum natura humana, atque Spiritus sanctus in forma columbæ. Quia verò effectus eiusmodi sensibilis procedit æqualiter secundum se, ab omnibus, & singulis Personis Diuinis, propterea Verbum Diuinum, quod secundum se non potest dici missum ab Spiritu sancto, dicitur nihilominus missum ab eodem, quatenus homo est, iuxta illud Esaiæ 61. apud Luc. 4. 18. *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me* (quoad naturam videlicet humanam) *Euangelizare pauperibus misit me,* utique secundum eandem naturam. Eadem porro, quæ dicta

sunt de missione, subintelligenda sunt proportionaliter de datione, & traditione, qua Pater dicitur dare, & tradere nobis Filium suum, & uterque, ac utervis Spiritum sanctum. Quia verò in creatis mittens, & donans, eo ipso fungitur speciali auctoritatis, & potestatis prerogativa super eum, qui mittitur, & qui datur, fit, ut Pater respectu Filij, & uterque respectu Spiritus sancti fortiat apparentiam maioris, & maiorem ratione nostra, propter missionem, & dationem modo explicatas.

Art. 8. Ex his igitur omnibus constat, Personis Diuinis conuenire perfectam, & adequatam vndeque aequalitatem re ipsa; tum quoad predicata absoluta, & relativa ad intra; tum quoad omnes effectus creatos, coniunctam cum apparentia quadam inaequalitatis, quoad eadem omnia, seu cum inaequalitate solum ex modo nostro concipiendi, & apprehendendi dependenter à connotatis creatis realiter inaequalibus. Inquirunt nonnulli, an relatio aequalitatis asserta inter Personas Diuinas sit realis, vel rationis tantum cum fundamento in re; id est, an sit magis, vel omnino similis relationi aequalitatis, quae est inter duas quantitates, quarum neutra est maior, vel minor altera; an verò sit similis potius aequalitati, quae est ex. gr. inter immensitatem, & aternitatem Diuinam. Ratio dubitandi est, quia tota ratio aequalitatis est Diuinitas, quae est vna, & eadem in omnibus Personis. Personae verò, quae sunt aequales, distinguuntur inter se realiter. Relatio autem, quae est penes idem realiter, non potest esse, nisi rationis, cum non habeat extrema, nisi ratione distincta; quae verò est realiter distinctorum, est realis, quia versatur inter extrema realiter distincta. Controversia hæc est levis, & de modo potius loquendi tantum, cum de re ipsa satis constet ex dictis supra, & ex hac ipsa ratione dubitandi. Dicendum verò potius videtur esse relationem realem, quia Personae Diuinae sunt aequales, non solum quia habent eandem magnitudinem Diuinitatis sibi communicatæ, sed insuper habent eandem aequaliter sibi communicatam per identitatem realem. Identitas autem realis tam conuenit Personalitatibus ratione sui, quam essentiae ratione sui, ideoque identitas cum Diuinitate, quae est vna, atque indiuisa formaliter ex parte ipsius Diuinitatis, est simul realiter multiplex ex parte Personarum. Constituit, ergo relationem non solum rationis ex parte essentiae, secundum se, sed etiam realem, ex parte Personalitatum; atque hic posterior conceptus exprimitur formaliter, dum Personae Diuinae comparantur inter se formaliter, quatenus habentes in se, non solum eandem Diuinitatem, sed etiam, ut tantundem illam habentes.

Ad 1. Maioritem illam Patris accipiunt alij SS. PP. & Interpretes comparatione Christi præcisè, ut hominis, & sic nulla est difficultas, quia, ut dicit Athanasius in suo Symbolo, *Filius est aequalis Patri secundum Diuinitatem, minor Patri secundum Humanitatem*. Quod si accipiatur, uti licet, de Christo, etiam quatenus Deus est, intelligitur maioritas realis secundum originem; secundum diuinitatem verò intelligitur sola maioritas quoad apparentiam respectu nostri, & ex modo nostro concipiendi, cui se accommodat Christus Dominus eo in loco, sicuti & in pluribus aliis accommodantur Scripturae sacrae, utpote dictata à Spiritu sancto ad nostram doctrinam, & vtilitatem, ideoque accommodatae capacitati nostrae, quae, quoad eum modum concipiendi, habet peculiare fundamentum in re præsentī, ut liquet ex iis, quae paulò prius exposita sunt, propter maioritatem realem potestatis, & iurisdictionis, quae conuenit Patri creato respectu Filij sui.

Ad 2. Comparatione facta inter substantias creatas, beatius est per se dare, quam accipere, tum præsuppositiue, tum formaliter, tum etiam consequenter. Præsuppositiue; quia in creatis per se præsupponitur abundantia in dante, & indigentia in accipiente. Formaliter; quia dare est difficilius per se, atque adeo magis meritorium, quam accipere. Amittit enim dans, quod dat, & acquirit, qui accipit, quod accipit. Amissio autem est incommoda, ac molesta, ideoque difficilis, cum è conuerso acquisitio sit comoda, & delectabilis, ideoque facilis. Consequenter denique, non solum quia maior gloria apud Deum, & homines, maiusque præmium manet, per se danti, quam accipienti, propter diuersam conditionem operationum pertinentium ad utrumque, modo explicato; sed etiam, quia accipiens manet obligatus danti, & patitur aliqualem libertatis suae restrictionem cum aequali eiusdem ampliatione ex parte dantis. At in Diuinis Personis nihil horum locum habet, quia quod datur, & accipitur ab ipsis, est aequaliter utrinque ex essentia sua, & neutri ab alterutro præstatur cum libertate aliqua indifferentia, sed cum omnimoda necessitate, exclusa sola necessitate coactionis. Et uterque deinde manet cum eadem plenitudine libertatis, & bonorum omnium. Vnde quod beatius sit dare, verificatur in creatis secundum realitatem, in Diuinis verò Personis quoad apparentiam tantum, modo superius explicato.

Ad 3. Productio Verbi Diuini à Patre assimilatur creationi propriè dictæ, quatenus non est ex præsupposito subiecto; generationi verò, quatenus præsupponit virtualiter essentiam Diuinam, cui immanet, & realiter Patrem, cui circuminsidet, ut dictum est. Differt autem ab utraque, quatenus neque est ex nihilo sui; neque ex præsupposito subiecto; quandoquidem Verbum Diuinum est aeternum, ideoque esse eius, non succedit post non esse, & nihilitatem ipsius, idemque est indistinctum realiter à Deitate, cui immanet, & non manet in Paternitate, à qua distinguitur realiter, quatenus distincta realiter, & secundum se præcisè considerata. Quapropter origo Filij Diuini à suo Patre, nec creatio, nec generatio, prout est actio ex præsupposito subiecto, propriè, & strictè dici potest; sicuti, nec causalitas propriè, aut villo pacto factio dici potest, quatenus factio inducit existentiam rei antea non existentis; & causalitas strictè sumpta dicit in suo conceptu prioritatem naturæ; & maiorem indifferentiam in existendo ex parte causæ respectu causi, quam è conuerso; sed dicitur propriè processio, quæ nullam eiusmodi imperfectionem importat ex suo conceptu. Vnde testimonia obiectionis accipienda sunt de creatione latè sumpta, cum fundamento indicato similitudinis cum creatione strictè sumpta. Quæ est communis SS. PP. aliorumque Interpretum expositio. Quo etiam pacto tribuitur à nonnullis Patribus, præsertim Græcis, causalitas, & ratio causæ Patri respectu Filij, & utriusque respectu spiritus sancti, nempe latè, & cum quadam improprietas talis.

Ad 4. Aternus Pater dicitur solus Deus verus, ad excludendam pluralitatem Deorum, non verò ad excludendam pluralitatem Personarum, quæ sunt Deus. Sermo namque est in eo loco aduersus Gentiles idololatrias, agnoscences plures Deos. Pro qua re fuisset abs re rati inclusio, quam exclusio plurium Personarum, quæ simul omnes sunt vnus verus Deus.

Art. 1. Ad 5. Diuinitas Spiritus sancti apparet clarè ex testimoniis indicatis quæst. 38. sub init. & ex aliis deinde in decursu tractatis, & ex quampluribus, quæ copiosè prosequitur Montoya tota disp.

disp. 68. de Trinit. maxime verò à sect. 3. Quod ad priora testimonia in contrarium attinet, illud de Scrutinio non significat difficultatem, & laborem perueniendi ad perfectam cognitionem, sed intimam & omnimodam usque ad vltimum penetrationem. Quo sensu dicitur Deus scrutari corda hominum. Hierem. 17. 10. & Sophon. 1. 12. & patet interpretationem esse legitimam ex sententia ibidem immediate subiuncta: *Quis enim hominum scit, quae sunt hominis; nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? Ita, & quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Ex quibus verbis potius colligitur Diuinitas Spiritus sancti, quia colligitur clarè infinita Sapientia eius, qua superat omnem eorum cognitionem, qui inadéquatè cognoscunt Deum, id. oque dicuntur ipsum non cognoscere. Hæc enim Sapientia est propria Dei, cum ceteri omnes magis ignorent, quam cognoscant ipsum, ut dictum est supra q. 9. Quod additur de oratione, gemitibus, & clamore Spiritus sancti, accipitur in sensu causali, & non formali, quatenus Spiritus sanctus inspirat nobis orationem, gemitus, & clamorem, eoque auxiliante cultum istum ipsi exhibemus, eodemque nobis prouidemus. Hanc interpretationem adhibent August. lib. 1. contra Maximianum inter princip. & med. & Epist. 105. ad med. & Nazianz. orat. 37. quæ est quinta de Theologia, necnon Chrysost. ser. 14. ad eadem illa verba Rom. 8. Eandemque postulat coherentia verborum, quæ immediate præcedunt ante ea verba obiectionis. *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram: Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus. Sed ipse Spiritus postulat pro nobis.* Scilicet tanquam causa principalis vtens nobis, tamquam instrumento, per gratiam, quam nobis infundit. Quod itidem pertinet, quod superius dixerat Apostolus: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Pater.*

Art. 2. Testimonium illud ex Ioan. de omnibus factis per verbum, nihil omnino probat. Primum, quia si quid probaret de Spiritu sancto, quatenus factum per Verbum; æquè id ipsum probaret etiam de Patre, utpotè non minus inclusio inter omnia sumpta sine ulla restrictione, quam includatur Spiritus sanctus. Quod tamen est contra intentionem obiectionis Græcorum, præterquam quod implicat in terminis, Patrem factum esse per Filium. Deinde, quia dum dicuntur omnia facta per Verbum: *To omnia* solum extenditur ad ea, de quibus aliunde constat facta esse absolute, inter quæ non comprehenditur Spiritus sanctus; certè quod comprehendatur, colligi ex illo testimonio nullatenus potest, utpotè non determinante, quænam facta sint, sed per quem facta sint, quæcunque facta sunt, qualiacunque illa sint. Demum hoc ipsum apparet clariùs ex lectione vulgata, quæ non leiuigit interpunctione particulam *nihil*, à particula *quod*, sed particulam *factum est*, à particula *in ipso*, ita ut sit integra periodus, & *sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Et deinde sequatur alia periodus: *In ipso vita erat, &c.* Quo excluditur ex effectibus Verbi Spiritus sanctus, qui videlicet nihil eorum est, quæ facta sunt. Verum & iuxta lectionem, qua vitur obiectio, subsistit optimè idem sensus, ut patet ex duplici priore ponderatione.

Art. 3. Quod additur de communitate nominis Spiritus sancti, facile diluitur. Primum, quia Spiritus, non tribuitur tamquam nomen tertiæ Personæ Diuinæ, prout opponitur rei materiali, sed prout significat impulsum quemdam, & quasi impetum. Quæ usurpatio, uti est valde accommodata ad exprimendum Amorem infinitum, ita est minus idonea, quæ accommodetur Patri, & Filio, intelligenti, & intellectui. Deinde significationes, & accommoda-

tiones vocum, & nominum, pendent ab intentione, & arbitrio imponentium nomina. Ecclesia autem, quæ innixa Scripturis sanctis tertiam Personam Trinitatis nominat Spiritum sanctum, semper intendit, ac voluit significare ea voce prædicata propria, & peculiariter tertiæ personæ Diuinæ, ut Diuinæ. Hæc igitur significat, quidquid demum sit de significato vtriusvis partis seorsim sumpta. Quod demum additur de donatione Spiritus sancti, & quod ipse sit donum, non indiget noua expositione, vltra eam, quæ superius data est circa Missionem inuisibilem, quia donari, & mitti Spiritum sanctum, ratione differunt, & conceptu formali, & vix plus, quam voce; re autem ipsa sunt prorsus idem.

Ad 6. Aequalitas bonitatis inter aliquos continet in se similitudinem eorum, quoad id, ratione cuius sunt ita æquales, non verò quoad cætera prædicata. Aequalitas autem bonitatis conuenit Personis Diuinis, ratione solius Diuinitatis, ut sæpè dictum est, & non ratione prædicatorum notionalium, quæ quatenus talia, præcindunt à perfectione, & defectu perfectionis, ac proinde ab æqualitate positiua, & à contraria inæqualitate; ideoque relinquitur locus dissimilitudini quoad ea prædicata. Ratio autem filiationis consideratur secundum prædicata notionalia ipsius, quæ videlicet sola verè producuntur, & terminant generationem. Quapropter præsens assertio æqualitatis inter Personas Diuinas, non tollit dissimilitudinem inter secundam, & tertiam Personas, quæ requiritur, ut altera sit Filius, & similis Patri, tum intentionaliter, ac representatiuè; tum fecunditate ad intra; altera verò careat vtraque similitudine cum prima, & cum secunda Persona. Non est prætereundus celebris, circa hoc, Augustini locus, probans similitudinem inter Diuinas Personas quoad Diuinitatem, & prædicata improducta, nihil conferre ad rationem filiationis. *In duobus onis paribus*, inquit lib. 83. quaestionum qu. 73. *quia inest æqualitas, inest & similitudo; quæcunque enim adsumt vni, adsumt & alteri: Imago tamen non est, quia neutrum de altero expressum est.* Quia ergo Verbum expressum est de Patre, ad representandum ipsum, atque hoc ipsum non conuenit Spiritui sancto, Verbum est imago Patris, & consequenter Filius, non verò Spiritus sanctus, licet vterque sit perfectè similis eidem Patri, quatenus non exprimitur de Patre, seu secundum prædicata improducta.

Art. 1. Ad 7. Quæ obiciuntur circa prædicata absoluta, solum probant diuersam eorum appropriationem respectu cuiusque Personæ, & consequenter apparentiam quandam inæqualitatis inter ipsas: nullam verò probant inæqualitatem realem. Nam in primis, quod ad potentiam attinet; sicut Diuinitas reddit Patrem potentem producere, & dare: ita reddit Filium potentem produci, & accipere; atque vtraque hæc potentia est æquè æstimabilis, & æquè perfectæ, ut liquet ex dictis ad secundum. Deinde intellectus, & intellectio absoluta æquè communicatur Spiritui sancto, eundemque perficit, ac denominat intrinsecè, ac Filium, & Patrem. Intellectus verò, & intellectio notionales nullius sunt, secundum se, perfectionis peculiaris. Denique mandatum, & doctrina dicuntur de Patre respectu Filij, vel secundum naturam humanam tantum, ut volunt plures interpretes, vel accipiuntur de communicatione vtriusque attributi simul cum tota Diuinitate per productionem realem filiationis; & neutro modo minuitur Persona Diuina Filij comparatione Patris, sed retinetur æqualitas perfectæ inter vtrumque, iuxta illud ad Philipp. 2. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo.*

Art.

Art. 2. Circa dissimilitudinem Personarum, quoad prædicata relatiua, sciendum est Personas Diuinas non ob id differre specie, quia illa tantum differunt specie, quorum quidditas, & essentia est diuersa. Personæ autem Diuinæ habent omnes indiuisim eandem realiter quidditatem, & essentiam. Iam verò Philosophus, comparans numeris species rerum, loquitur de differentia specifica, propriè tali, nempe quoad quidditatem, & essentiam. Vnde ea doctrina non facit ad propositum, pro re præsentì. Obseruandum autem obiter est, non posse creaturis conuenire ullam inter se dissimilitudinem, absque inæqualitate. Quia non possunt duæ entitates creatæ esse inuicem dissimiles, quin altera sit magis dissimilis Deo, quàm altera. Quia res creatæ secundum omnia sua prædicata positiua, sunt participationes Diuinitatis, eiusdemque imitationes, tanquam sui exemplaris. Fieri verò nullatenus potest, ut similitudines, & imagines deriuatæ secundum omnia, quæ ipsis insunt, ab vno eodemque exemplari, sint æquè seu similes, seu dissimiles eidem, & nihilominus sint dissimiles inter se. Quia eo ipso id, penes quod sunt inter se dissimiles, non adesset in exemplari, quod repugnat ei, cuius totum esse est imitatio eiusdem exemplaris. Ea autem entia creatæ, quorum alterum est magis simile, seu minus dissimile Deo, quàm alterum, patet esse inæqualis bonitatis inter se; cum tota bonitas, & perfectio creaturarum consistat in assimilatione ad Deum. At perfectio Personarum Diuinarum non consistit in assimilatione ad Diuinitatem, sed in identitate cum ipsa Diuinitate. Ex quo clariùs apparet,

eam doctrinam Philosophi non posse accommodari Personis Diuinis, quatenus notionaliter dissimilibus.

Art. 3. Adde differentiam istam, ac dissimilitudinem notionalem esse purè materialem; quia prædicata notionalia, prout distincta virtualiter à Diuinitate, non sunt virtus causatiuæ vllius cognitionis discernentis vnā Personam ab alia, neque vllius amoris specialis circa vnāquamque Personam; sed tota ipsarum virtus motiua intellectus, & voluntatis tam Diuinæ, quàm humanæ, est penes Diuinitatem, penes quam est tota perfectio, & consequenter tota vis communicandi, ac propagandi perfectionem, ut dictum est supra. At entitates creatæ inter se dissimiles, non possunt non habere dissimilitudinem, formaliter talem, causatiuam ratione sui formaliter cognitionis discretiue inter ipsas, & affectus peculiaris erga vnāquamque earum. Quia ratio dissimilitudinis inter ipsas est virtualiter intrinsecè indistincta ab earundem perfectione, & in vnaquaque earum, vel saltem in altera ponit perfectionem specialem formaliter diuersam. Necesse igitur est, dissimilitudinem creaturarum, quoad aliquod prædicatum, esse coniunctam cum non identitate perfectionis, & magnitudinis virtualis suorum extremorum; atque hoc ipsum est impossibile in dissimilitudine notionali Personarum Diuinarum. Quod postremò obiicitur circa inæqualitatem quoad operationes ad extra, nulla indiget responsione. Quia ex dictis supra circa miliones, & dationes vnius diuinæ Personæ per aliam, satis patet, quid sit dicendum ad illa.

F J N J S.

